

versiculum absolvens. Quodvis horum duorum membrorum pluribus vel paucioribus vocibus constans in diversa minora membra disseccatur, eorumque voces singulæ pro diversitate congruæ pronuntiationis vel servis accentibus conjunguntur, vel distinctivis à se invicem separantur. Hunc in finem XIX distinctivos & VII conjunctivos accentuum characteres in Codice nostro invenimus, quorum unus vel duo singulis vocibus applicati sunt, evidenti indicio, judæis olim certum & consuetum fuisse legendi modum, ipsis *נעימה* *amoenitas*, & *זמרה* *cantus* appellatum, & accentibus illis indicatum. Hoc bene perpenso omnis difficultas, quæ hætenus Accentuum interpretes presit, facile tollitur & de omni accentuum positura ratio redditur. Ex hoc perspicuum est, cur uni voci quandoque duo accentus subjiciantur; orationis enim membrum unica voce constans alias nimium caderet, & jucunditatem suam perderet versiculi elocutio. Exemplo sit vers. 4. cap. XXI. Levit.

לֹא יִטְמָא בַעַל בְּעַמּוֹ לְהַחֲלוֹ:

Non contaminetur princeps in populo suo, ne profanet se.

Ultimum versus membrum unica voce absolvitur, sique post Atnachi pausam ad Sillukum statim lector pergeret, elocutionis amoenitas periret; interponitur itaque Tiphcha — in voce longiori, ut viam ad Sillukum sternat, quo officio alias fungitur. Quando vero ultimum Silluki, vel etiam Atnachi membrum duas voces complectitur, Tiphcha non ultimam, sed penultimam vocem sibi vendicat, siue voces grammatice cohæreant siue distingvantur. V. g. Jer. VI. 14. *וְאֵין שְׁלוֹם* & *non erat pax*. Sic Num. XXI. 11. *וַיִּסְעוּ מֵעֵבֶר* & *profecti sunt ex Oboth*, & Jes. XXVI. 2. *פְּתוּ שַׁעֲרֵים* *aperite portas*. Ex eodem fonte præsentia & absentia Atnachi derivatur. Multæ hic traduntur regulæ, quæ tamen neque sedulis Scripturæ lectoribus, nec accentuum scrutatoribus satisfaciunt, quod ex commentariis & accentuum Institutionibus nemini non constat. Si vero dicamus Atnachum abesse a versu celerius pronuntiando, & adesse in tardius eloquendo, proxima causa omnibus versiculis conveniens indicatur. Si porro celerioris & tardioris pronuntiationis rationem quæras, eam vel vocum paucitas, & brevitatis, vel affectuum latentium diversitas, vel pronuntiationis, vel denique sacri punctatoris libertas suggerit. Porro ex hoc genuino accentuum scopo facile intelligimus causam, ob quam accentus majores loco minorum, & minores loco majorum veniunt, quæ non est alia, quam tardior & celerior membrorum versiculi pronuntiatio. Exemplis rem clariorem reddam. Gen. XXIV. 56. legimus: *שלחני ואלכה ליהוה*; *Mittite me, ut eam ad Dominum*. Hæc verba sequentes quoque admitterent accentus: *שלחני ואלכה ליהוה*. Ultimæ enim voces cohærent; sed tardior pronuntiatio majores substituit. E contrario Deut. I. v. 23. *ואקח מכם שנים עשר אנשים*. *Et capiebam ex vobis duodecim viros*, tria ultima verba conjunguntur, quæ alias hos

hos